





DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
PRIMO PRINCIPIO  
**THEOLOGIAE**  
**SOCINIANAE**

QVAM  
P R A E S I D E  
**IO. ERNESTO SCHVBERTO,**

S. TH. D. ET PROF. PVBL. ORD. IN REGIO CONSIST. ECCL. CONSIL.  
PASTORE AD AED. ST. MARIAE, ET ACADEMIAE GRY-  
PHISWALDENSIS H.T. PRO-RECTORE

I N A CADEMIA G R Y P H I C A

D. XXV. IVN. A. R. S. CICICCLXV.

HORIS CONSVETIS

P V B L I C E D E F E N D E T

**GEORGIVS HENRICVS NESSELMAN**  
ELBINGA-BORVSSVS

S. THEOL. CAND.

---

GRYPHISW LDIAE  
TYPIS A. F. RÖSE REG. ACAD. TYPOGR.

DISPATATIO THEOLOGICA

PRIMO PRINCIPIO

# THEOLOGIA SOCINIANA

PRAELOGIA

IO. ERNEST & SCHAFER

ATLANTICUS OS INKEDO COMMUNI ET EXCE

PALESTORIS AD VERB. ET MARINA ET ACADMIAM AFRIC

PHILADELPHIAE ET PRO-RICOTORI

IN ADOPTIMA CLEMENTIA

ET 1740. TIT. ARS. 1710. EXCELSA

HORIS. COMPLETAS.

LUTETIAE DECIMAS

GEORGAS HENRICAS HERZELIAN

DRING-SCARAS

1710. EXCELSA

CHRISTIANA LIBRÆ

ET 1740. TIT. ARS. 1710. EXCELSA

VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
GEORGIO HENR. NESSELMANNO

SANCTÆ THEOLOGIÆ CANDIDATO DIGNISSIMO

RESPONDENTI SUO HONORATISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S.

**M**ea quidem laude non indiges, VIR CLARISSIME, nec virum bonum ac prudentem decet, multis verborum ambagibus eum commendare velle, cuius propria virtus haud diu obscura aut dubia esse potest. Boni tamen viri officium deseruisse ipse mihi viderer, si Te, non sine publico eruditionis specimine à nobis discessurum, sine publico virtutis testimonio dimitterem. Ultra tres annos in conspectu meo versatus es, mihi percharus factus, tum ob animum celestis veritatis cupidissimum, tum ob laudabile plenitatis ac honestatis studium. Lateri meo semper affixus doctrinas salutares ex ore meo quotidie hauriebas, quas musis helmstadiensibus tradebam, tantosque in omni literarum genere faciebas progressus, ut brevi tempore dignus mihi videreris, quem in Seminarium Theologicum, optimam illam ministrorum ecclesiæ officinam, recipi cuperem. Ad examen admissus spem meam superabas, & quod tunc Tui erat officii, magna cum laude adimplebas. Sive enim examinando, sive disputando, sive discutiendo quæstiones difficiliores Tuos & sociorum vires explorarem, sive sermones sacros in templo publice recitares, omnibus fere palmam præripere videbaris. In felicissimo hoc studiorum Tuorum curriculo accidit, ut in hanc regiam Academiam evocarem. Nolebas à me separari, quamdiu Tibi liceret, Doctorum Academicorum Prælectionibus frui. Mecum igitur migrabas in hanc provinciam, & quantum me diligeres, in difficiili illo itinere satis demonstrabas. Rerum enim mearum curam ita gerebas, ac si res Tuæ, aut Patris Tui fuissent. Et si patrem nuncu-

nuncupare velis, qui Te paterno affectu in finu gerit,  
omnino erant Patris Tui. Non enim me latent Tuæ vir-  
tutes, quibus paternum hunc amorem debo. Non præ-  
dicabo eas. Norunt omnes, qui Te norunt. Et quibus  
Te nosse contigit, diligunt. Abitum nunc meditaris non  
sine magno meo dolore. Sed eundem est, quo fata tra-  
hunt. Communis nostra patria Te sibi reddi cupit, ut  
novam spartam ornes. Atque æquum erat, ut novo quo-  
dam specimine demonstrares, non indigno hæc offerri  
diligentiae & virtutis præmia. Utrumque ex animo Tibi  
gratulor, &, ut omnia Tibi cedant felicissime, precor.  
Redux in patriam fruere omni ea felicitate, quæ promissa  
& speranda est omnibus, qui Deum timent, & de Rep. de  
Ecclesiæ, deque bonis omnibus bene mereri student.  
Nova semper incrementa cape in omni sapientia & virtute.  
Multæ cum utilitate fungere officio, cui admovendus es.  
Adsit Tibi divina gratia in omni opere, quod aggrederis.  
Esto ornamentum patriæ, soliatum optimi Patris, gaudi-  
um & decus amicorum Tuorum, & exemplum, quod intueantur & imitentur, quorum ingenia Tua cura & institu-  
tione formari debent. Et cum hæc omnia Tibi even-  
tura sunt, quemadmodum confido, mei quoque memen-  
to, qui Te semper diligam, semper colam. Scrib. in  
Acad. Gryph. D. XX. Jun. A. R. S. ccccclxv.



## PRÆFATIO.

**E**a nunc est temporum nostrorum facies, ut  
FIDES SOCINIANA, christianæ fidei no-  
mine prorsus indigna, non tantum quam  
plurimis placeat, qui ceteroquin aliam religionem  
externe profitentur, sed etiam non paucos inven-  
iat publicos defensores, quorum conscientia & of-  
ficii ratio publicam illius detestationem exigeret.  
Horum multi sine dubio opiniones istas ornant &  
fovent, quia à communibus Christianorum senten-  
tiis recedunt, & quia plus illis sapere omnemque  
præjudiciorum vim excusisse videntur, qui dogma-  
ta à multitudine improbata excusare aut tueri non  
dubitant. Hac vanitate ac arrogantia inflati non  
pauci nomen inter Manichæos olim profitebantur,  
quorum mysteria & iniquitates non intelligebant,  
quos vero liberius philosophari, & arcanam quan-  
dam

A

dam sapientiam quærere audiverant. Sed plures forte Socinianos errores propugnant, quia nec suæ Ecclesiæ, nec adversariorum systema recte tenent, multaque salva fidei integritate statui posse putant, quæ tamen sunt præcipua impietatis fundamenta. Id certe illis accidisse credo, qui sibi persuaserunt, posse Deum & sine ulla interveniente satisfactione peccata condonare. Hanc possibilitem, qui negarent, parum illi abesse putant, quin Deum ipsum contumelia afficerent, ipsiusque omnipotentiae & liberrimo arbitrio fines ponerent. At vero quis crederet, hos homines tantam sentiendi licentiam sibi sumptuosus fuisse, si scirent, nihil magis Socinianum esse, quam ipsum illud dogma, & nihil efficacius doctrinam evangelicam de Redemtione nostra destruere, quam negata illa necessitas satisfactionis? Itaque non inutilem fore operam meam existimavi, nostris præcipue temporibus, si ostendero, præcipuum systematis Sociniani fundatum esse opinionem, *peccata à Deo remitti posse fine interveniente satisfactione.* Et ne sola hujus dogmatis historica discussione nostra meditatio continetur, addendum esse duximus refutationem tum dogmatis ipsius, tum argumentorum, quibus pugnari solet ab adversariis. Hæc autem omnia eo tendunt, ut infirmiores in agnita veritate confirmantur, illis vero, qui aliter sentiant, periculum demonstretur, cui fidem suam, forte præter intentionem, exponunt.

CAP.



3

## CAP. I.

IN QVO EXPOSITUR PRIMUM PRINCIPIUM  
THEOLOGIÆ SOCINIANÆ.

§. I.

**F**AUSTUS SOCINUS, cum Poloniā ingredere tur, cuius regni proceribus aliquis cūibus suam religionem ita perfusat, ut numerosi cōtus Deum ad rationem ab ipso traditam colentes brevi tempore colligerentur, hic, inquam, SOCINUS cum Poloniā pedem inferret, magna jam exīstebat hominum societas, qui se UNITARIORUM & ANTITRINITARIORUM nomine ab aliis distinguebant. Utebantur hoc nomine ad significantum dogma suum primarium & characteristicum, sc. solum Patrem Domini nostri Jesu Christi verum esse Deum, ideoque unam tantum personam divinam esse, quemadmodum unus tantum esset Deus. Poloniā illatum erat hoc doctrinæ genus ex Italia, ubi, præsertim in Venetorum ditione, multi viri docti secreto conveniebant, præcipua religionis capita discutientes, ut, quid credendum esset, ipsis certo constaret. Nam & Italoſ ad res, quæ in Germania religionis causa geregabantur, attentos de fide & auctoritate P. R. dubitare cœpisse, & de invenienda veritate sollicitos fuisse, ex litteris LUCII PAULI ROSELLII ad MELANCHTONEM datis videre licet a). Accidit vero, ut in primis circa receptam de Trinitate doctrinam hærerent, & quemadmodum cuncta suspecta videbantur, quæ haec tenus tradita erant, ita & eam sacris literis, rationi, & piæ antiquitati non satis convenire sibi persuaderent. Postquam occulta hæc scruntium societas in superiorum notitiam venerat, nonnulli capti & interfecti sunt, reliqui fuga sibi consulentes patria egressi, & per agratis multis regionibus, tandem quoque delati sunt in Poloniā, ubi opinionem, quam iphi animo conceperant,

Unitario-  
rum dogma-  
præcipuum  
ante Soci-  
num.

A 2

multis.

a) Vid. COELESTINUS in Hist. Comit. P. II. p. 274.



\* \* \*

multis, non sine successu, commendarunt b). Quæ cum ita sint, negari haud potest, præcipuum UNITARIORUM in Polonia dogma fuisse errorem de Trinitate. Quid vero præterea ita uerint, cum ad nostrum institutum non pertineat, non opus est, ut hoc loco commemoremus. Sufficit, letores, qui hæc scire cupiunt, rejecisse ad librum, rariorem quidem, sed fere unicum, ex quo summa totius religionis Unitariorum, antequam facti sunt SOCINIANI, discere licet. Prodiit Cracoviæ A. R. I. MDLXXIV. sub rubro : *Catechesis & Confessio fidei cœtus per Poloniam congregati in nomine Jesu Christi Domini nostri crucifixi & resuscitati, &c.* In hoc scripto tota illorum fides ad sex capita revocatur : 1. de Deo & Jesu Christo. 2. de Justificatione, 3. de Disciplina, 4. de Oratione, 5. de Baptismo, 6. de Cœna Domini.

§. 2.

Unitarii ad Socinum transuent. Non dubitabat SOCINUS, horum hominum societatem appetere, sed denegata est receptio, tum quod se ab illis denuo baptizari nollet, tum quod multas haberet opiniones, quas illi à vero alienas esse credebant. Quia vero nihilo minus pergebat, causam UNITARIORUM ore & opere agere, ingenio, facundia, & auctoritate plurimum valebat, præfertim apud proceres Poloniæ, & veteres sectæ conditores maximam partem decesserant, illi non tantum in castra socini transibant, sed etiam fuarum ecclesiistarum curam huic viro ita tradebant, ut ab eo suæ religionis formam componi vellent c). Ab hoc tempore UNITARII facti sunt SOCINIANI, & quamquam nomen UNITARIORUM retinerent, tales tamen erant secundum mentem & institutionem SOCINI.

§. 3.

b) Ita rem nobis narrat CHRIST. SANDIUS in *Bibl. Antiq. in vita LÆLII SOCINI p. 18.* & STANISL. LUBJENIECIUS in *Hist. Ref. Polon. Lib. II. Cap. I. p. 38.*

c) Vid. SAM. PRZIPCOVIUS in *Vita Socini*, opp. p. 421. seqq. GEORG. SCHOMANNUS in *Testamento p. 175.* ANDR. WISSOWATIUS in *Narratione de Separat. levitæ p. 214.*

## §. 3.

Ex hac rerum conversione haud difficulter apparere credo, SOCINIANORUM doctrinam eandem non fuisse, quæ fuerat UNITARIORUM, & ipse testatur PRZIPCOVIUS, SOCINUM Ecclesiam UNITARIORUM ab erroribus repurgasse. Evidem & ante unionem in doctrina de Trinitate cum illis consenserat. Nam & ipse divinitatem Christi & personalitatem Sp. S. negabat. Et quamvis plerique UNITARIORUM ab initio essent ARIANI, SOCINUS vero errores PAULI SAMOSATENI & PHOTINI præferret, constat tamen, plororumque UNITARIORUM mentem jam mutatanū fuisse, antequam SOCINUS advenerat. Nam in confessione, quam §. 1. excitavimus, sententiam suam ita exponunt, ut PHOTINIANI potius, quam ARIANI esse videantur d). Hinc & nulla lis de Trinitate SOCINO movebatur. Alia vero erant doctrinæ capita, que in eo improbabant UNITARIIS, & quorum causa nec ad sacram Synaxin admittebatur, nec ingressus in Societatem illi permittebatur. WISSOWATIUS haec refert: *De satisfactione Christi, de justificatione sine omnibus operibus, de predestinatione & servio arbitrio, & de baptismo aquæ e).* Inprimis autem cum eo de sensu capituli septimi Epist. ad Rom. disputabatur f). Extat SOCINI Disp. cum JOANNE NIEMOJEVIO de Loco Pauli Apostoli in Epist. ad Rom. Cap. septimo g) in qua contendit, Paulum ibidem de se ipso, ut nondum renato, loqui. Id enim

A 3 ferre

d) In hac confessione Christum esse dicunt hominem, mediatorem nostrum apud Deum, patribus olim per prophetas promissum, & ultimis tandem temporibus ex Davidis semine natum, quem Deus pater fecisset Dominum & Christum, perfectissimum prophetam, sanctissimum sacerdotem, invictissimum regem, &c. Nulla hic mentio sit excellentiissime illius naturæ Christi, humana, imo & angelica longe perfectioris, quam Deus ante secula condidisset, quemadmodum ARIANI docebant; sed solus & merus homo esse statuit, quod erat dogma PHOTINI, à SOCINO renovatum.

e) ANDR. WISSOWATIUS in *Narrat. Comp.* p. 214.

f) PRZIPCOVIUS in *Vita Socini* p. 422.

g) In BIBL. FRATR. POLON. Part. I. p. 87.



ferre nullo modo poterat, ut quis verus esse posset christianus, licet adhuc peccata committeret. Christianum omni peccato carere posse & oportere, existimabat, & hanc præcipue rationem urgebat, cum Evangelicis persuadere vellet, quod Unitariorum cœtui se se adjungere vi conscientia tenerentur h). Qua in re cum pertinacissime dissentirent UNITARI, nemo non videt, singulare illi fuisse religionis Systema, ad quod amplectendum illi tandem, licet ægerrime, commovebantur.

S. 4.

Illius error  
primarius.

Hujus Systematis FUNDAMENTUM PRIMUMQUE PRINCIPIUM ego quidem esse credo opinionem istam, *Deum peccata nobis condonare posse sine interveniente vera satisfactione à quoquam accepta.* Creditum hoc esse à SOCINO, nemo est, qui ignoret. In suis enim Prælectionibus Theologicis singulare caput constituit, in quo argumenta operose exponuntur, quibus necessitatem hujus satisfactionis impugnatū it i). Extat quoque Institutio religionis christianæ ab hoc auctore composita, in qua contra necessitatem illam ex capite impossibilitatis disputat. Impossibile enim esse, putat, nec sine contumelia Dei asseri posse, satisfactionem pro peccatis nostris à Deo aut desideratam, aut acceptatam esse k). Eandemque sententiam ubique repetit & inculcat, ubi de Redemtione nostra differendi copia illi facta erat. Quemadmodum autem nullus hæreticorum à veritatis tramite unquam adeo aberravit, ut nihil recti, nihil fani statuisset, ita nec SOCINIANUM esse statim credamus, quod a SOCINO unquam assertum est. Multa ille omnino habet, quæ negari haud possunt, salva veritate. Sic ex. gr. statuit, justificationem nostram esse actionem forensem. Atque idem quoque docent Protestantes.

b) In Tr. quod Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithuaniae homines, vulgo Evangelici dicti, &c. Cap. I. in BIBL. FRATR. POLON. P. I. p. 693.

i) SOCINUS in Præl. Theol. Cap. XVI. Bibl. Fratr. Polon. P. I. p. 566.

k) In Just. Rel. Christ. BIBL. FR. POLON. Part. I. p. 665.

stantes. Itaque licet statuerit, peccata condonari posse à Deo sive interveniente satisfactione, quæri tamen adhuc posset, num hoc pertineat ad Socinianam hæresin. Quodsi enim credamus, satisfactionem pro peccatis nostris vere præstata esse, quid interest, si illius necessitatem negaverimus? Sic certe multos sentire constat, qui non viident, hac liberalitate pessima spargi semina, è quibus non nisi periculissimarum opinionum lolia progerminare possunt. Ut ergo his corruptelis efficax remedium opponatur, ostendendum nobis erit, hac doctrina non tantum virus socinianæ impietatis contineri, sed etiam eam ipsam esse omnis erroris fundamentum. Nonnullis forte fuisse, monuisse, jam agnitus esse à gravissimis Ecclesiæ nostræ Theologis, negationem necessitatis, ut pro peccatis nostris Deo satisfiat, ad characteristicos SOCINI errores pertinere. Horum virorum auctoritate qui convinci malunt, quam argumentorum pondere, hos, ut brevitati studeamus, rejicere placet ad JOANNEM ADAMUM SCHERZERUM l), JOANNEM MUSÆUM m), JOAN. OLEARIUM n) & JOANNEM GUSTAVUM REINBECKIUM o). Minime vero in illorum judiciis & testimoniosis subsistendum est, verum potius rem ipsam aggredi nobis liceat, atque ex intimis Socinniani systematis visceribus eruere, in eo præcipue à SOCINO erratum esse, quod necessitatem satisfactionis Deo præstandæ negavit.

### §. 5.

Cum id maxime sit essentiale cujuscunque religionis, quod ad modum reconciliationis cum Deo & impetrandi æternæ vitae pertinet, ante omnia videndum est, quisnam ille sit modus, quo Deus, ex mente SOCINI, in salvandis hominibus uteretur. Qui modus si ita comparatus sit,

Sententia Socini de modo Redemtionis.

l) SCHERZER in *Brev. Theol. Hulsem.* Cap. VII. Th. V. p. 353.

m) MUSÆUS in *Coll. Anriloc.* Disp. X. Qu. 3. §. 10. p. 495.

n) OLEARIUS in *Synopsi Controv.* Disp. VII. contra Socin. §. 36.

p. 206.

o) REINBECK de Redemt. per Lyrron. P. II. §. 13. seqq. p. 196. seqq.



ut ejus ratio reddi debeat ex assertione, *necessæ non esse, ut Deo pro peccatis satisfiat*, & si hæc ipsa assertio ita sit comparata, ut ex ea non possit non sequi, quicquid SOCINUS de redemtione & salute nostra tradidit, fateri quemque oportere, credo, eam ipsam assertionem præcipuum caput & fundamentum totius Theologie Socinianæ esse. At vero singularem esse modum redimendi salvandique homines, quem SOCINUS animo conceperat, nemo est, qui ignoret. Sed forte adeo notum non est, hanc sententiam primum veluti fructum esse lucubrationum, quibus ille religionem christianam reformatum, & in aliam formam transfundere allaboravit. Cum Basileæ adhuc hæret, & in addiscendis sacris literis omne tempus & studium collocaret, celebrem illam disputationem de *Iesu Christo Servatore* componebat. Et in præfatione huic operi premissa ipse testatur, se hoc nomine potissimum innotuisse aliis, quod de redemtione & modo salutem consequendi aliter sentiret, quam vulgo credi soleret, ideoque COVETUM, contra quem tractatum hunc scripsit, occasionem de industria quæsivisse, de Redemtione cum eo disputandi, ut constaret, quænam opinionum esset differentia. In hoc autem Scripto id præcipue agit, ut ostendat, Christum ideo nos redemisse nostrumque servatorem dici, quod salutis æternæ viam nobis annuntiasset ac confirmasset, quod sanctissima sua vita exemplum ab omnibus imitandum nobis proposuisset, & quod potestatem haberet, æternam vitam conferendi iis, qui totam vitam suam ad ejus doctrinam & exemplum composituri, & in promissionibus datis omnem fiduciam collocaturi essent p). Eodem modo sententiam suam & alibi saepius declaravit, idque totius religionis summam sibi quidem videri, aperte confessus est q). Illam vero alteram sententiam, qua Christus nos interveniente λύτρῳ redemisse, & pro peccatis nostris vere satisfecisse creditur, prorsus rejecit,

p) de Christo servatore Part. I. Cap. 2. seqq. BIBL. FRATR. POLON.  
P. II. p. 124. seqq.

q) Vid. inter alia SOCINI Tr. de Justificatione in BIBL. FR. POLON.  
P. I. p. 601.

cit, suamque sententiam ideo veram esse sibi persuasit, quod illa altera de satisfactione opinio nullo modo stare posse videretur. Nec improbanda est illa argumentandi ratio, à *sociis* adhibita, qua à negata satisfactione ad illud redemtionis genus concluditur, quod ille statuebat. Hæc enim duo contradictorie sibi sunt opposita. Nam qui captivum liberare vult, aut redemtionis pretium pro eo solvat, aut modum ostendat, quo captivus vincula rumperet, seque in libertatem afferere posset. Si ergo Christus nos non redemerit mediante λύτρῳ pro nobis soluto, tota ejus redemptio est tantum demonstratio modi liberacionis, mediorumque, quibus hunc in finem utendum esset.

## §. 6.

Ut igitur constaret, quānam illi esset ratio, recepitam opinionem deferendi, primum, quid redemptio proprie accepta sit, copiose exponit. Fatetur, *redemptionem, si propriè sumatur, esse liberationem captivi mediante pretio pro eo soluto*. Per redemtionis pretium autem non præcise *pecuniam* intelligit, quæ in hominibus ex captivitate humana redimendis solvi solet, sed quicquid datur, ut ei satisfiat, qui captivum detinet, licet ceteroquin multa metaphorica in ea redemtione reperiatur, si ad veritatem propriæ redemtionis exigatur r). His præmissis statuit, nostram redemtionem à Christo factam non esse propriam, sed metaphoricam; Quinque enim ad veram & propriam redemtionem requiri; *primum* captivum, qui redimendus sit; *secundo* aliquem, qui eum captivum detineat; *tertio* eum, qui redimat; *quarto* ipsum redemtionis pretium; *quinto* illius acceptationem; Jam vero in redemtione nostra quatuor priora deprehendi; *Esse* captivum, nempe hominem redimendum; *Esse*, qui nos captivos detineat, sic diabolum, peccatum mundum, &c. *Esse* etiam, qui redimat, nempe Deum aut Christum; *Esse* denique pretium redemtionis, quod esset vita Christi; *Sed deesse* pretii acceptationem, ideoque hanc redemtionem

Nititur ne-  
gata necessi-  
tate satisfa-  
ctionis.

B

dici

r) de Jesu Servatore Part. II. Cap. I. p. 141. 142.



dici haud posse propriam. *Neque enim, inquit, aliud in hac liberatione desideratur, ut omnino veræ redēptioni respondeat, nisi ut is, qui captivum detinebat, pretium accipiat.* Et paulo post: *Si enim id, quod in ipsa (redēptione) pretii loco est, acceptum (ab eo, si qui hominem captivum detinebat,) fuisset, jam non metaphoricum sed verum pretium intervenisset, & propterea vera redēntio esset s).* Supponebat enim, hominem à diabolo captivum teneri, illi vero pretium à Christo solvi haud potuisse, ideoque neminem adsuisse, qui illud potuisse accipere. Verum ipse sibi nondum satisfecisse videbatur hac disputatione, quæ sola redēptionis propriæ notione nitebatur. Intelligebat namque Socinus, nos liberatos esse non tantum à dominio, sed etiam à pœna peccati; hanc vero pœnam non à diabolo, sed à Deo, tanquam justo judice, irrogari; atque hinc quæstionem adhuc remanere, *num Deus poenam istam condonaverit, sine interveniente pretio, quod loco pœnae solutum, aut pro ea surrogatum foret?* Si quid ad tollendam pœnam intervenerit, quod pretii rationem habere posset, nostram redēptionem veram ac propriam fere, ipse negare non audebat. Negabat ergo, tale quid intervenisse, h. e. Deum aliquid accepisse pro pena, quam hominibus irrogare poterat, & quam illis gratiōe condonasset. Hujus rei hanc reddebat rationem, *quod illa satisfactio non fuerit necessaria.* Nam cum ad disputationis caput perventum erat, hoc primum suæ opinionis argumentum esse voluit: *Deum jure potuisse nobis condonare peccata nostra, nulla pro ipsis vera satisfactione accepta t).* Imo vero illud non tantum primum in ordine, sed etiam precipuum ratione dignitatis & ponderis erat. Nam quæ sequuntur argumenta, nihil profus efficerent, nisi primum illud satis fibi constaret. Pergit enim satisfactionem impugnare ex hac ratione, *Deum voluisse peccata sine ea remittere, & addit, Deo nec potuisse, salvis nobis, satisfactionem à quoquam praestari.* At vero quomodo Deus satisfactionem

<sup>s)</sup> Ibid. Cap. II. p. 143.

<sup>t)</sup> Ibid. Part. III. Cap. I. p. 156.

ctionem admittere voluisse, si necessarium fuisset, ut præstaretur? Et quomodo impossibilitas satisfactionis statui possit, si illa fuisset necessaria? Constat enim, nos esse redemptos. Si vero homines redimi haud potuissent sine vera satisfactione interveniente, & si hæc satisfactio fuisset impossibilis, nobis omnibus in æternum omnino pereundum fuisset. Eandem disputandi methodum & alibi servat, cum de hoc argumento agitur u). Nec alia incedunt via, qui ejus causam agunt. Quamquam enim in CATECHISMO RACOVIENSI aliæ rationes negatæ Christi satisfactionis recitentur, veluti, quod de ea nihil extaret in Sacris literis, quod Scriptura & rationi repugnaret x), iste tamen nullius forent roboris, nisi supponeretur, ejusmodi satisfactionem non esse necessariam. Ex hac causa suam quoque philosophiam ita adornasse videntur SOCINIANI, ut possibilis ita peccata remittendi sine satisfactione, ex divinis attributis aliquo modo probari possit y). Non ignorant illi, redemptionem nostram per Christum factam ejusmodi verbis traditam esse, ut, si proprie intelligerentur, vera & propria redemptio seu satisfactio admittenda omnino esset. Suæ igitur cause ut aliquo modo consulant, hæc omnia improprie accipienda esse, contendunt. At si unicuique pro arbitrio tropos fingere licet, propriumque ac naturalem vocum significatum convertere in improprium, actum foret de Scriptura, nihilque certi ex ea amplius probari posset. Hinc ut facti rationem reddit, dicunt, propriam hominum redemtionem impossibilem esse. Quomodo autem illa impossibilitas asseri posset, si impossibile foret, peccata à Deo nobis condonari sine interveniente satisfactione? Quare hinc inchoandum erat totum certamen. Hoc erat rei caput. De hac necessitate prius erat disputandum, quam novum errorum Systema exstrui poterat.

## B 2

## §. 7.

u) Ex. gr. in *Prael. Theol. Cap. XVI. seqq.* BIBL. FRATR. POLON.  
Part. I. p. 566.

x) Catech. RACOV. Qu. 390. seqq. p. 740. seqq. Ex Edit. Oederi.

y) JO. CRELLIUS in *Lib. de Deo & Attrib.* C. 23. p. 61. & C. 25. p. 81.

**Quia negata  
simul negari  
debet satisfa-  
ctionis exi-  
stentia.**

Quemadmodum autem existentia satisfactionis Christi negari haud posset, nisi simul illius necessitas negaretur, ita & nemo hanc necessitatem negare potest, nisi ipsam Satisfactionis existentiam tollat. Sunt, qui, utriusque nexus non perspicentes, credunt, aut saltem externe profitentur, filium Dei morte sua pro nobis satisfecisse, licet putent, & sine hac satisfactione nos salvare potuisse, si Deo ita visum fuisset. Solet hoc illis accidere, qui, historica rerum cognitione contenti, dogmata quidem theologia cum argumentis adhiberi solitis recitare, suoque ingenio ornare sciunt, ipsarummet vero cælestium veritatum ad se invicem relationes nec intelligunt nec curant. Hos cum approbare videmus hypotheses, è quibus periculofissima conclusiones, ab ipsis non prævisæ, fluunt, si excusando putemus humana imbecillitate, vitium tamen, quo doctrina laborat, dissimulare non licet. Hujusmodi generis sine dubio est opinio, à quibusdam quoque nostratum incaute asserta, *ad salutem nostram non opus fuisse mediatoris satisfactione, possibile enim fuisse, ut & sine illa Deus nobis peccata nostra condonaret.* Fateor, me longe aliter sentire. Nam si possibile fuisset, quod illi putant, fieri haud potuisset, ut Christus peccata humani generis sibi imponi passus esset, eorumque poenas sustinuisset. Mors Christi nec decerni nec permitti potuit à Deo, nisi sub conditione, si unicum possibile medium fuerit, vitam nobis restituendi. Nam qui justus est, & miseriis aliorum non delectatur, ille nec punit sine necessitate, multoque minus insontem plectit pro fonte, cum uterque servari, & infinitis illis cruciatibus carere potest. Neque audiendi sunt, qui forte contendunt, Deum hoc medio ad nos salvandos usum esse, ut infinitam amoris sui magnitudinem nobis demonstraret. Nam primo amor Dei erga humanum genus non potest esse major amore erga filium suum unigenitum. Et secundo nulla possibilis est amoris manifestatio, conjuncta cum sanctitatis, justitiae, aliarumque

que virtutum divinarum obscuratione. Qui vero putant, Deum ideo mortem filii sui decrevisse, quia hoc medium se dignius sibique glorioius judicaverat, quam quocunque aliud, & que possibile, illi primum sciant, hoc medium Deo dignum aut gloriosum nullo modo esse potuisse, si & fine eo humanum genus servari potuerit. Nam Deo nihil dignum esse potest, quod defectum justitiae aut amoris summi erga filium suum unigenitum arguit. Præterea ipsi ignorare videntur, qui sentiunt, hoc redēptionis genus Deo dignius & glorioius fuisse, licet simul statuarit, homines & alio modo redimi potuisse. Id enim unice Deo dignum & gloriosum est, quod ipsius sanctitati, sapientiæ, aliisque attributis moralibus convenient. Si ergo Deo dignius fuit, humanum genus per satisfactionem morte filii sui interpositam redimi, hoc certe magis conveniebat ipsius virtutibus, quam quocunque aliud medium. Magis hoc genus redēptionis illius prædicabat sanctitatem, justitiam, sapientiam, bonitatem, & quicquid virtutis in Deo veneramur. A summa igitur sanctitate, sapientia, justitia, & bonitate recessisset, si absque hac satisfactione sibi præstata nos salvare decrevisset. Atque hoc Deo MORALITER EST IMPOSSIBILE. Quorū ergo illorum disputatio? De sola morali impossibilitate agitur. Absolute enim, aut, si mavis, physice illi possibile fuisse, homines sine interveniente satisfactione salvare, nemo est, ut opinor, qui unquam negaverit. Potest etiam justum damnare, & injustum salvare, sine intercedente pœnitentia, si solam ejus potestatem spectes. At vero Deus hanc suam potentiam, hoc suum jus in creaturas secundum leges sapientiæ, sanctitatis, & justitiae administrat. Et quicquid eas lœdit, moraliter est impossibile. Vides ergo, existentiam satisfactionis morte Christi præstite statui non posse, nisi & illius necessitas afferatur.



## §. 8.

Ex hoc prin-  
cipio fuit to-  
tus Socinian-  
ismus.

Quæ omnia quemadmodum eum in finem disputata sunt, ut constaret, opinionem, qua necessitas satisfactio- nis negatur, esse præcipuum fundamentum totius Socinianismi, ita non parum claritatis & evidentiæ huic meæ assertioni accedet, si ostendero, dogmata Socinianorum characteristica ex hoc ipso principio facili & perspicua consequentia deduci posse. *Christum non satisfaciendo, sed docendo, & doctrinam suam confirmingo nos redemisse, eundemque merum esse hominem, minime Deum verum & essentiale, nec Spiritum Sanctum esse personam quandam divinam, ideoque totum Trinitatis mysterium cadere, hæc omnia à Socinianis ita traduntur ac docentur, ut rerum theologicarum prorsus expertem esse oporteat, qui ignoraret, hæc dogmata esse criteria Socinianismi, eumque ab omnibus aliis here- fibus discernere.* At vero hæc dogmata ita sunt compara- ta, ut non possint non statui ab eo, qui necessitatem satisfactionis negat, nec à se ipso suisque principiis dissen- tit. Nam si Deus, salvis suis virtutibus, peccata condonare, nosque salvare potuit, sine vera satisfactione accepta, nulla Christo erat ratio, pro nobis satisfaciendi, & hoc modo peccata nostra expiandi. Quis ergo crederet, tantum opus, quantum hæc erat satisfactio, à Christo peractum esse fine necessitate? Itaque nos redemit, non satisfaciendo, sed demonstrando viam salutis, & offeren- do motiva, eam ingrediendi. Hoc autem munere qualsunque homo fungi poterat, si modo necessariis virtutibus ac requisitis instructus fuerit, Deique sapientia non permittit, ut ipse Dei filius humanam naturam assumat, & ad consequendum finem in mundum veniat, cui effici- endo & promovendo merus homo sufficiebat. Ergo Christus, qui ad redimendum genus humanum missus erat, minime Deus, sed merus & solus homo est. Quia vero Spirit. S. à Christo mitti & procedere dicitur, quod nullo modo asseri posset, si divina persona & ipse Deus altissimus ac æternus foret, neganda quoque erat illius divinitas aut perfic-

personalitas. Negabatur ergo & neganda omnino erat existentia & satisfactionis & trinitatis, quia satisfactione ad salutem nostram non opus esse videbatur. Atque haec sufficere puto ad demonstrandum, errorem istum primum ac præcipuum esse totius Socinianismi fundamentum,

## CAP. II.

### IN QUO PRIMUM HOC THEOLOGIÆ SOCINIANÆ PRINCIPIUM REFUTATUR.

§. 9.

**I**ncomparabilis Vir, HUGO GROTIUS, qui jura non modo gentium, sed & ipsius conditoris & patris gentium diligenter & eruditè scrutatus est, hac quoque in parte causam Dei & religionis egit, ut Satisfactionem Christi contra FAUSTUM SOCINUM singulari scripto vindicaret. Hujus operis primarius quidem scopus erat, demonstrare, Christum pro nobis vere satisfecisse, & poenam peccatorum ab humano genere in Christum jure transferri posse. Sed tota illa disputatio magna imperfectione laborasset, nisi & causarum facta fuisse mentio, quæ satisfactionem istam exegissent. Quod cum intelligeret laudatus Auctor, Cap. V. inquit, *num sufficiens Deo causa fuerit, quæ eum moveret ad Christum pro nobis puniendum?* Hanc ille causam omnino extitisse afferit, & quænam illa fuerit, his verbis exponit: *Ex his, quæ de fine diximus, intelligi potest, non modo causam fuisse aliquam, sed & quæ illa fuerit: Num irrum quod tot & tanta peccata sine insigni exemplo transmittere noluerit. Hor autem ideo, quia omne peccatum Deo vehementer displicet, eoque vehementius, quo ipsum est gravius. Prov. XI. 20. Ps. V. 5. Ies. LXVI. 4. Et c.* Cum vero Deus sit actius, & ratione utentes creaturas in id consideret, ut suas proprietates magis testatas faceret, convenientius est illi, etiam quantopere sibi peccata displicant, ~~ad~~ aliquo testari, actius autem ei rei convenientissimus est pena.

§. 10.



Satisfactio,  
quid sit?

Veriorem esse hanc rationem à GROTIUS redditam, quibuscumque aliis, haud difficulter intelligent, qui harum rerum non profus sunt ignari. Imo vero unica mihi esse videtur, quam sana ratio nobis suppeditat, ad necessitatem satisfactionis demonstrandam. Quod ut evidenter pateat, venia nobis detur à lectoribus, argumentum hoc paulo copiosius discutiendi. SATISFACTIONEM Juris Naturæ Doctores vocant reparationem damni per rem æquipollentem, sive talis vere sit, sive talis esse aestimetur z). Supponit illa læsionem aut damnum nobis illatum, quo, quod nostrum erat, corruptitur, diminuitur, aut auferitur aa). Quod hac ratione aliorum culpa vel dolo perdidimus, ita sæpe perit, ut res ipsa restitu nequeat. Quia vero suum cuique tribui debet, & nemo ferre tenetur, ut minus suo habeat, eoque contentus sit, ille, qui damnum infert, tantum nobis reddere debet rerum æquipollentium traditione, quantum nobis ablatum esse creditur. Hinc & GROTIUS monet, satisfactionem solutioni strictius sumptæ opponi bb). Hoc sensu si satisfactio accipiatur, Deo proprie prestari non potest. Quemadmodum enim Deus vi immutabilitatis & independentiae suæ deterior reddi nequit, ita & impossibile est, aliquid ipsi auferri aut rapi. Ubi vero nulla est læsio, ubi nullum damnum, ibi nec ulla satisfactio. Nihilo tamen minus omne peccatum manifestationi gloriæ divinæ derogat, quod cum fini Dei ultimo contrarium sit, aliquid fieri potest, quo gloria divina peccato obscurata rursus manifestetur, & defectus, quem peccatum fini divino intulerat, rursus tollatur. Hoc, quicquid sit, satisfactionem appellarunt, quoniam cum satisfactione verâ & propria maximam habet similitudinem. Cæterum hoc satisfactionis genus penam peccati, eamque infinitam esse credimus. Itaque cum quæstio movetur,

num

z) Vid. mea phil. præf. Part. II. Cap. II. §. 952. p. 321.

aa) PUFFENDORF in Juri. Nat. & Gent. Lib. III. Cap. I. §. 3. p. 299.

bb) In Defens. Cath. sidei de Satisf. Christi Cap. VI. p. 17.

*num satisfactio sit necessaria, aut num Deus sine ea peccata possit remittere? Hoc proprie queritur: Num necesse fit, ut peccatores à Deo puniantur? Num pœnam peccatori condonare possit, licet nemo alius loco peccatoris eam sustinuerit? Num sub divino imperio mundus carere possit nexus pœnarum cum peccatis commissis? Hæc omnia unica SATISFACTIONIS voce exprimuntur. Et utimur hoc vocabulo, quia in sacris literis, cum de hoc argumento agitur, voces occurrunt, idem prorsus significantes, quales sunt ἀγορασμός, 1 Cor. VI. 20. 2 Pet. II. 1. ἐξαγορασμός, Gal. III. 13. λύτρον, Matth. XX. 28. ἀντιλύτρον, 1 Tim. II. 6. λύτρωσις, Tit. II. 14. 1 Pet. I. 18. Ebr. IX. 12. ἀπολύτρωσις, Rom. III. 24. 1 Cor. I. 30. ἀποκαταλλαγή, Eph. II. 16. Col. I. 20. ἰλασηρίον, Rom. III. 25. ἰλασμός. 1 Joh. II. 2.*

§. 11.

Præmissa hac declaratione quæstionis, de qua disputationatur, progredior ad demonstrationem sententiae nostræ, Necessitas  
ejus demon-  
stratur. quæ hæc est, non posse Deum permittere, ut ullum peccatum impunitum maneat, sed necesse esse, ut peccatum quodcumque poena infinita sequatur. Absit, ut divine potentie terminos ponere, aut, quid agere possit, definire audeamus. Non de eo, quod possit, sed, quod non possit, loquimur. Et qui mediocris sunt ingenii, facile intelligent, primo Deum non posse efficere, quæ in se sunt contradictoria, & absolute impossibilia. Ecquis enim sibi persuadebit, Deum alium Deum, aut mundum infinitum, materiam cogitantem, & id genus alia creare posse? Deinde etiam nonnulla Deo moraliter sunt impossibilia. Atque huc pertinent ea omnia, quæ salvis ejus virtutibus moralibus fieri nequeunt. Hujus generis est impunitas illa, quam Deum peccatoribus dare haud posse diximus. Illud autem attributum, quod hæc impunitas eversura esset, est SANCTITAS. Hæc virtus consistit in infinita aversatione omnis mali.

C



mali. Manifestatur illa tum prohibitione omnis peccati, tum collatione virium, quibus creaturæ rationales instruētæ ab eo sibi satis cavere possint. Ubi vero peccatum semel commissum est, aliud medium non datur, summam hanc Dei sanctitatem manifestandi, quam nexus poenæ cum peccato. De mediis loquimur, quæ consistunt in operibus divinis, & hinc in divina dispositione nexuum mundanorum. Constat enim, universum mundum in manifestationem gloriæ divinæ, omniumque adeo attributorum divinorum conditum esse. Et quicquid de Deo ex rationibus à priori, ex idea summæ ejus perfectionis, aut aliis principiis scire licet, illius etiam extare debent testimonia & documenta in mundo, nec quicquam universali rerum nexus contentum esse posset, quod virtutibus illis repugnaret. Finge autem nexus, in quo peccator non punitur; num inde intelliges, Deum hoc peccatum odisse & aversari. Finge alium, in quo peccator punitur quidem, sed levius, num inde apparebit, Deum peccata infinite aversari? objicies forte, etiam si hoc Dei odium ex illis nexibus non elucescat, aliunde tamen id satis constare posse. Unde vero? Forte à priori: Quia sanctitas est virtus, & Deus omnibus virtutibus instructus esse debet. Concedo. Sed memineris, harum virtutum, quas in Deo veneramur, manifestationes divinis operibus contineri debere, totumque mundum ita compositum esse oportere, ut hæc Dei attributa illustrent atque prædient. Deinde quid juvaret, Deum his virtutibus gaudere, si illis non uteretur in administratione & gubernatione rerum mundanarum? Aut num possibile foret, Deum esse sapientissimum & sanctissimum, etiam si opera ejus ad leges sapientiæ & sanctitatis non essent composita? Itaque argumentum hoc omni exceptione majus esse credo: *Si Deus omnes suas virtutes per nexus mundanos manifestare debet, commissio autem peccato nullus nexus possibilis, est, quo infinita ejus sanctitas demonstrari posset, nisi cum peccato infinita*

*conne-*

connectiatur pena, necesse omnino est, ut peccatori pro quovis peccato pena vere infinita infligatur cc).

§. 12.

JOANNES CRELLIUS, qui GROTIUS singulare scriptum opposuit, hoc argumentum refutaturus, lectores ad SOCINUM rejicit, qui illud jam praeoccupasset. Mirum est, inquit, GROTIUM, cum hanc præcipuam satisfactionis à Christo exstabat causam afferre cogitaret, vel non vidisse, vel cum videret, non refutasse ea, que Socinus sat prolixè hac de re scripsit Lib. 3. Cap. 2. circa finem, ubi ita inter alia dicit: Satis se odio peccatum prosequi ostendit Deus, cum, nisi resipiscamus, & peccatis relitti, justitia deinceps studeamus, nos graviter punit, atque æternæ morti mancipatos relinquit dd). Ita sine dubio & hodie non pauci sentiunt, qui satisfactionis hujus necessitatem negant. Neque ego diffiteor, amplissimum divinæ sanctitatis testimonium extare, cum non-resipescentes æternis cruciatibus traduntur. Sed cum resipescentibus parcitur, sine ulla interveniente vera satisfactione, illa divinæ sanctitatis demonstratio rursus vehementer obsecratur. Nam in toto nexu vitæ & fatorum ejusmodi resipiscientium nihil continetur, ex quo constaret, Deum peccata illorum infinito odio prosequi. Peccata existunt. Sequitur resipescientia, h. e. quemadmodum Sociniani eam interpretantur, contritio & studium emendandi vitam, cuius intuitu homines salvari creduntur. Hæc resipescientia qualemcunque aversationem peccati testatur, sed non infinitam. Quomodo enim ex venia contritis & vitam emendantibus data demonstrabis, tantum esse odium Dei adversus omne peccatum, ut eo majus concipi nequeat? Nonne & pater filio veniam petenti & meliorem vitam

C 2 pro-


cc) Vid. Tr. meus germ. de Verit. Rel. Chriſt. Cap. I. §. 115. seqq. & Cap. V. §. 282. seqq. It. Intr. in Theol. Rev. Cap. IV. §. 147. 148. p. 186. seqq.

dd) JO. CRELLIUS in Resp. ad Hug. Grotii Lib. de Satisf. Chriſt Cap. V. p. 121.

Objec̄tio  
Crellii refu-  
tatur.



promittenti parcit, licet ejus petulantiam & inobedientiam  
 non infinite averteretur? At inquis, infinita hujus odii ma-  
 gnisudo apparebit, si impunitas resipiscientibus data com-  
 paretur cum æternis non-resipiscientium poenam. Nam ex  
 eo intelligimus, Deum & resipiscientibus infinitas poenas  
 redditurum fuisse, nisi resipuerint. Sed hoc nihil aliud  
 sibi vult, quam duplicum nexum dari in mundo, quorum  
 utroque peccatum continetur, sed uno tantum simul de-  
 monstrationem infiniti odii Dei adversus illud, & altero  
 tantum qualisunque illius aversationis testimonium. Ita  
 vero qui sentiunt, non sine Dei contumelia supponunt,  
 eum in gubernando mundo non semper eundem ordinem  
 & modum servare, quandoque eum leges sapientiae &  
 sanctitatis summæ sequi, quandoque vero eas negligere.  
 Deinde non satis sibi constant adversarii, cum statuunt,  
 non-resipiscientes in æternum puniri, resipiscientes autem  
 sine ulla alia satisfactione impunitos dimitti, imo vero &  
 præmiis infinitis ornari. Supponere eos oportet, pecca-  
 tores in se poenas æternas mereri, illisque opus esse ad de-  
 monstrandum infinitum Dei odium adversus omne malum.  
 Has igitur aboleri cum sentiunt interveniente sola resipis-  
 centia, nulla alia satisfactione in locum propriæ surrogatæ,  
 resipiscientia illa sine dubio adversariis videtur poenas æter-  
 nas compensare, ideoque perinde esse respectu gloriæ di-  
 vinæ, sive peccator æternis affligatur poenam, sive contritionem &  
 vitæ emendationem offerat. Sed hoc resipiscientie genus, quod fingitur à Socinianis, minime odium  
 aliquod infinitum, quo Deus in peccata hominum feratur,  
 sed qualemcumque tantum displicentiam manifestat, & in  
 demonstranda Dei sanctitate non plus ponderis habet,  
 quam quæcumque alia poena finita, imo etiam levissima.  
 Quapropter si resipiscientia sufficit ad placandum Deum, à  
 non-resipiscientibus non exigenda est poena infinita, nisi  
 statuere velimus, Deum arbitrarie cum hominibus agere,  
 aut in eo esse personarum acceptationem.



§. 13.

Qui novas opiniones hodie condunt, aut antiquas renovant, suoque ingenio ornant, ut aliquid novi dixisse videantur, animum philosophiae infensum præ se ferre non raro videntur. Nolunt, in rebus theologicis disputari rationibus philosophicis, & ferre non possunt, dogmata sanæ rationis urgeri, cum de rebus fidei agitur. Ipsi vero dum rectum philosophiae usum prohibent, ea perfime abutuntur in inveniendis falsis & ad suas hypotheses compositis Scripturæ interpretationibus. Hoc hominum genus, vera philosophia expers, argumentis philosophicis nimis se premi & constringi sine dubio sentit, cum de necessitate satisfactionis disputatur, ideoque vult, ut ex sacris literis ea sibi demonstretur. Evidem non satis æqua hæc petitio esse videtur. Nam revelationis proprie est, existentiam satisfactionis testari, & disputatio de illius necessitate ad philosophiam pertinet. Quemadmodum autem Dei consilium de nostra redemptione clarus & plenius intelligitur, cum & de illius necessitate nobis constat, ita & Deus eam nos ignorare noluit. Ipse divinus noster redemptor de hac necessitate ita testatus est, ut animis descendendi cupidis nullum dubium supereesse possit. Cum in agone constitutus esset, humillimis precibus patrem adibat, dicens: *Pater, si possumus est, procul à me absit, seu translat hoc poculum.* Et rursus: *Pater, si poculum hoc transire nequid, nisi à me bibatur, fiat voluntas tua.* Matth. XXVI. 39. 42. Poculum significat ingentes illos cruciatus, quos sanctissima Christi anima ad montem Oliveti jam sentiebat, & qui adhuc illi imminebant. Transitus poculi est remotione dolorum, quibus jam excruciatatur, & quos adhuc futuros metuebat. Denique haurire aut bibere poculum nihil aliud est, quam omnem mensuram dolorum & passionum adimplere. Cum itaque Christus ad hunc modum precatur, ut apud Matthæum extat, sensus est: *Pater, si possumus est, libera me ab his cruciatibus; si vero liberari nequeam, nisi exahero, quicquid patiendum est, fiat voluntas tua.* Quod si

suppo-

C 3

Necessitas  
satisfactionis  
ex Matth.  
XXVI. 39-42  
demonstra-  
tur.



supponamus, cruciatus istos, quibus ut carere posset, Christus optabat, fuisse infinitam & jam inchoatam satisfactionem pro peccatis nostris eo tempore praestandam, nihil evidenter est, quam Christum precatum esse, *ut, si possibile fore, humanum genus sine interveniente hac satisfactione salvari, ipsi parceretur, & Deus tantam passionum molem ab ipso removeret.* Atqui Christus lethiferum illud proculum proflus exhaudire debuit. Ergo aut non exauditus est sub conditione precatus, aut conditio ista existere non poterat. Christum vero à Patre suo non exauditum esse, nemmo facile sibi persuadebit. Ergo fateri oportet, *impossibile fuisse, ut humanum genus sine interposita satisfactione infinita servaretur.*

#### §. 14.

*Agitur h.l. de satisfactione.* Qui concedunt, Christum morte sua pro nobis satisfactione fecisse, & tantum hujus rei necessitatem negant, illi de veritate solius consequentiae convincendi sunt. Sed quoniam nunc praeceps contra Socinianos disputatur, qui existentiam non minus quam necessitatem satisfactionis negant, ante omnia nobis demonstrandum erit, *cruciatus, quos mediator noster eo tempore sentiebat, fuisse infinitos dolores, ex sensu peccatorum nostrorum ipsi impostorum ortos, & hinc veram satisfactionem vicario nomine praestitam.* Intelligi hoc poterit tum ex magnitudine dolorum, tum ex possibiliate salutis nostre sine morte Christi, si illa non fuisset vera satisfactio.

#### §. 15.

*Quod demonstratur.* Cum Christus hortum Gethsemane ingressus esset, tantos sentire coepit animi dolores & cruciatus, ut Scriptoribus Sacris verba deficere videantur, quæ describendæ & exprimendæ illorum magnitudini sufficerent. Contremiscerat & angebatur vehementissime. Anima ejus contristata erat usque ad emoriendum. Sanguineum fundebat sudorem, qui copiose decidebat in terram. Humi pro-

prostratus supplex petebat à patre suo, ut ipsius miserere-  
 tur. Confortatione angeli indigebat. Matth. XXVI. 27.  
 38. 39. Marc. XIV. 33. 34. Luc. XXII. 43. 44. Adeisse  
 igitur oportebat aliquod malum, ex cuius sensu tanti do-  
 lores oriri poterant. Atqui hoc malum aut erat mors  
 cruenta & ignominiosa, quam sibi imminere non ignorabat,  
 aut aliud quoddam malum. Representatio mortis,  
 cui erat proximus, animum ejus dolore quidem & tristitia  
 implere poterat, sed non tanta, quanta ab Evangelistis  
 describitur. Nam & infirmorem Christum esse oportuisset  
 sanctis suis martyribus, quos non tantum forti & con-  
 stanti, sed etiam non raro hilari animo durius mortis ge-  
 nus sustinuisse constat; & dolores longe acerbiores fensi-  
 set, cum mortem ipsam pateretur, quam cum eam ut  
 futuram ope imaginationis sibi representaret, cuius ta-  
 men rei contrarium ex facris literis scimus. Ergo aliud  
 aderat malum, quod divinum nostrum redemptorem adeo  
 affligebat, ut simile exemplum in historia reperire non li-  
 ceat. Hoc vero malum non erat physicum aliquod, ex-  
 terna vi Christo illatum. Extremum enim, quod patie-  
 batur, erat crucifixio. Concludamus ergo, malum ali-  
 quod internum, foli Christo notum, cuius universam  
 molem tunc sentiebat, horum dolorum causam fuisse.  
 At vero fingas, quocunque velis, malum, aliud tamen,  
 quod hic supponi posset, non invenies, quam MORALE,  
 & DIVINUM, quo illud adfligitur ODIMUM. Duplex enim  
 tantum concipi potest malum, physicum scilicet & mo-  
 rale. Prius aut ab hominibus aut à Deo infertur homini.  
 Malum vero ab hominibus Christo illatum aut adhuc in-  
 ferendum tantos anini dolores parere non potuisse, jam  
 demonstravimus. Quodsi ergo physicum fuit malum, à  
 Deo metuendum aut inferendum fuisse oportet. Sed hoc  
 semper supponit Dei iram, odium, aut quocunque nomi-  
 ne appellare velis illam Dei displicantiam, qua movetur,  
 ut ipse hominem malis affligat. Imo vero ipsum illud odii-  
 um, ipsa illa ira maximum est malum physicum, quod  
 homo



homo sentire possit. Quia vero Deus neminem irā sua  
 prosecuitur, nisi id peccatis promeruerit, Christum quo-  
 que, tot doloribus excruciatum, malorum moralium re-  
 um fuisse, nemo non videt. At vero ipse proprio pecca-  
 to carebat. Ergo nostra erant peccata, Christo imputra-  
 ta, quorum efficacissimo sensu tunc angebatur. Accede-  
 bat sensus infiniti odii divini, quo justissimus judex eum  
 merito prosequebatur, qui hæc peccata tanto odio digna  
 portabat. Quæ cum ita sint, nullum est dubium, quin  
 dolores & cruciatus isti, quos in agone constitutus sensit,  
 verissima peccatorum nostrorum pœna fuerit, veramque  
 Christus satisfactionem pro nobis preſtiterit. Et nunc  
 intellectu facile erit, quid magnus ille propheta sibi vo-  
 luerit, inquiens: *Confessus est ob prævaricationes noſtras, &*  
*contusus ob iniqüitates noſtras. Pœna pacis noſtræ super eo, &*  
*vulnere ejus sanitas data eft nobis Jef. LIII. 5.* Scilicet Messi-  
 am, dicit, pœnas peccatorum nostrorum vere sustinuisse,  
 & hoc ipso impunitatem nobis comparasse. Novi qui-  
 dem, hæc verba in sensum longe alium detorqueri à SO-  
 CINO. Christum enim propter peccata nostra mortuum  
 esse, putat, quatenus illorum caufa & occaſione, seu ideo  
 mortuus eſſet, ut promiſſiones suas confirmaret, nos-  
 que illis credentes resipisceremus, & peccatorum remiſſio-  
 nem conſequeremur ee). At primum ex eadem ratione  
 Christus etiam dici potuifſet propter peccata noſtra  
 miracula perpetraſſe. Nam & his veritatem doctrinæ  
 ſue conſirmavit, imo vero magis conſirmavit, quam  
 morte. Mors enim conſirmatio promiſſionem Chri-  
 ſti eſſe creditur à SOCINIANIS, quatenus eum mori  
 oportuifſet, ut resurgere, & tanto miraculo demon-  
 ſtrare potuifſet, fe à Deo vere miſſum eſſe. Itaque non  
 tam morte, quam reſurrecſione eam ſequuta veritatem  
 doctrinæ conſirmavit. Miraculis vero id immediate effi-  
 ciebatur. Unde ea multo magis propter peccata noſtra  
 facta dici poſſent, quam mors Chriſti, quo tamen loquen-  
 di

ee) Faustus Socinus in *Præl. Theol. Cap. XX. p. 577.*

di genere Scriptura nunquam usu est. Secundo mors & passio Christi disertis verbis dicitur **POENA**, & quidem **PACIS NOSTRÆ**, h. e. pœna, qua nobis pax seu liberatio ab omni malo promerita est. Nec quicquam aliud mors Christi esse potest, si conceptum rationem habere velimus, quos sana ratio & verba prophetæ nobis subministrant. Nam mors illa erat verum malum physicum, cuius rationem in peccatis nostris sitam fuisse, Propheta testatur. At vero omne malum physicum, quod infligitur propter malum morale, pœna dicitur. Qua igitur specie negari posset, hanc mortem peccatorum nostrorum pœnam fuisse? Tertio si Christus propter peccata nostra mortuus esset, ut doctrinam suam confirmaret, nosque promissionum fuarum certitudine ad resipiscientiam eo efficacius moveret, quomodo ipsum maledictum esse oportuisset, cum moreretur? Gal. III. 13. Num & maledictus erat resurgendo, aut miracula perpetrando, aut ad vaticinia Prophetarum provocando, aut præjudicia Judæorum refutando, quibus tamen omnibus veritatem Evangelii confirmatam esse constat? Nihil ergo soliditatis habent, sed potius malæ causæ indicia sunt, quæ ad hanc demonstrationem reponunt, & quibus vim verborum prophetæ infringere tentant Sociniani.

## S. 16.

Novum argumentum verba Christi nobis suppeditant: *Si possibile est, fac, ut hoc poculum transeat.* Sub conditione precatur, quæ si possibilis fuisset, non potuisset non exaudiri. Scimus autem, eum exauditum non esse. Ergo nec possibile erat, ut poculum hoc à Christo removeretur. Sed si passio illa non fuisset satisfactio, si tantum fuisset confirmatio veritatis Evangelii, ut Sociniani volunt, Christus ea omnino carere potuisset. Ad hunc enim finem sufficiebant miracula, in conspectu totius populi edita. Aut si resurrectione opus fuisset, quæ mortem supponebat,

D

Alia demon-  
stratio.



bat, placida morte, sine acerbis illis doloribus, extingui potuisset, quemadmodum Lazarus, cuius resuscitatio universam gentem commovebat, & convincebat, Jesum, miraculi hujus auctorem, verum esse Messiam.

§. 17.

Necessitas  
satisfactio-  
nis demon-  
stratur.

His præmissis ad NECESSITATEM SATISFACTIONIS facilis erit transitus. Volebat Christus, ut sibi parceretur, si possibile foret. Non loquebatur de possibilitate absoluta, neque de physica. Hoc enim sensu fatis constabat, possibile esse, Christum non mori. Ergo de morali possibilitate hæc verba accipi debent. Hanc vero possibilitatem si intellexerit Christus, sensus verborum hic est: *Noli me hat malorum mole opprimi & angari, si possibile est, ut & sine his doloribus fiat, cuius causa nunc excrucior.* Sed nemo est, qui ignoret, aut in dubium vocet, Christum propter peccata nostra, & ut æterna salus nobis compararetur, tot tantisque malis afflictum esse. Ergo Christus precabatur, ut, si humanum genus servari, & peccata illi condonari possent sine gravissimis illis doloribus, quos sentire coepit, pater cœlestis ipsum hac afflictione carere fineret, qua nunc pro peccatis hominum satisfaciendum esset. Minime vero ab his malis prius liberabatur, quam totum calicem passionum suarum plene exhauserat. Ergo impossibile erat, humanum genus salvari sine interveniente vera satisfactione.

§. 18.

Objecțio re-  
movetur.

Huic demonstrationi opponi non potest, quod à recentiore quodam scriptore ad ea loca responsum esse legimus, ubi de necessitate passionis & mortis Christi sermo est, veluti Luc. XXIV. 26. 46, Act. IV. 12. Non enim de necessitate *ipsius* decreti, sed de necessitate *executionis* ejus ibidem

ibidem agi, putat. Scilicet præsupposito æterno Dei decreto, ut humanum genus mediante satisfactione redimeatur, necesse quidem fuisse, concedit, ut Christus pro nobis satisfaceret, sed non necesse fuisse, ut Deus hunc redemtionis modum decerneret. Fateor, me non satis mirari posse horum hominum aut temeritatem, aut simplicitatem. Unde enim illa satisfactionis, quam agnoscunt, conditionata necessitas? Nonne ab immutabilitate decretorum divinorum dependet? Sed, quæso quænam est hujus immutabilitatis ratio? Num forte decreta Dei sunt absolute necessitatis? Aut num ideo sunt immutabilia, quia Deus nunquam non vult, quod semel voluit? Num supernum & sapientissimum Numen forte sequitur axioma illud: Stet pro ratione voluntas? Abfit! Divina enim sapientia, cuius usu nunquam carere potest summus rerum arbiter, efficit, ut, probe ponderatis rei statuendæ momentis, circumstantiis, & rationibus omnibus, optimum decernat, ipsiusque virtutibus dignissimum. Novit infinita, quæ in Deo est, scientia quamcunque causam & rationem, qua sanctissima voluntas moveri possit ad volendum vel nolendum. Sequitur rationes gravissimas, se suaque sapientia dignas. Ideo, quicquid decernit, in suo genere semper est optimum. Quatenus ergo nulla unquam existere potest ratio, quæ meliora suadeat, & quatenus moraliter impossibile est, ut Deus deterius meliori, imperfectius perfectiori præferat, decreta ejus sunt immutabilia. Ex quo sequitur, rem à Deo semel decretam moraliter esse necessariam, & hac necessitate niti divinorum decretorum immutabilitatem. Eadem igitur & ratio est satisfactionis à Deo decretæ. Necessaria erat, quia Deus eam decreverat. Decreverat autem, quia necessaria erat. Nimirum duplex illius datur necessitas. Altera decretorum divinorum immutabilitate, altera ipsius satisfactionis qualitate & ad fines divinos relatione nititur. Quapropter vanum est, quod adverlarii contendunt, necessariam fuisse satisfactionem sub conditione decreti, decretum ipsum autem non necessarium. Prævidebat certe Deus,

cum



cum decerneret, & antequam decernebat satisfactionem pro nobis præstandam, prævidebat, inquam, Christum aliquando precaturum esse, ut hoc poculum ab ipso removeretur. Hæc prævisio ad rationes, & quidem gravissimas, pertinebat decernendi aut non decernendi satisfactionem ipsam. Nihilo tamen minus decreta est à Deo. Decreta est, inquam, licet Deus eam ab æterno decreturus non ignoraret, Christum aliquando supplicaturum esse, ut sibi his cruciatibus carere liceret, si possibile esset. Quis igitur non videt, necessariam fuisse hanc satisfactionem, nec alium inveniri potuisse modum, Deo dignum, genus humanum juvandi, & ab æterna morte liberandi?



153516

X 2310927

R



# Farbkarte #13



B.I.G.

# TIO THEOLOGICA DE O PRINCIPIO LOGIAE INIANAE

QVAM

A E S I D E

TO SCHVBERTO,

ORD. IN REGIO CONSIST. ECCL. CONSIL.  
ST. MARIAE, ET ACADEMIAE GRY-  
ENSIS H. T. PRO-RECTORE

EMIA GRYPHICA

VN. A. R. S. CICLOCC LXV.

HORIS CONSVETIS

LICE DEFENDET

ENRICVS NESSELMAN

INGA-BORVSSVS

S. THEOL. CAND.

---

YPHISW LDIAE

RÖSE REG. ACAD. TYPOGR.